

U.M.
RUM
E
ÉINZIA
UM

DIVITIARUM
EVANGELICARVM

Disquisitio Decima octava.

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Salani

Rectore

Respondente,

AUGUSTO MESCHMANNO

Halberstadiense Saxone

Dominica Reminiscere.

A. O. R. Cl. Ic. III.



HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegelij

8

DIALECTARUM
EVANGELICARVM

Didactio Sacrae Scripturae

Expositio

CHRISTIANO GENEVISO

Caroli Speneri

Leipzig

1684

EVANGELICARVM

Scripturam Sacram

Expositio Sacrae Scripturae

CHRISTIANO GENEVISO

Caroli Speneri

Leipzig

1684

EVANGELICARVM

Scripturam Sacram

CHRISTIANO GENEVISO

Caroli Speneri

Leipzig

1684



ANALYSIS EVANGELII

Dominica Reminiscere

Math. 15. à. v. 21. usq; ad 28.

Προσίναιον

*Hec oitis vidua 2. Sam:
14, 11. filium suum unicum à
cognatis ad cædem postulacum
Davidi cum lachrymis supplex
facta, sibi utraq; condonari impe-
travit. Ita & Cananea suam sibi à Domino
filiam sanari, & à Dæmone liberari tandem
expugnavit. Id quod uberioris recensetur in
Pericope Evangelicâ.*

THEESIS . I.

IN qua habetur mulieris partim pugna,
partim victoria. Pugna partim præmit-
uit circumstaniam, quoad modum. Et est

E f

CHRI-

454.

CHRISTI in partes Tyri & Sidonis migra-
tio v. 21. In quo habetur subjectum, quod
illustratur quoad motum: Et egressus; nem-
pe ex Galilæa seu terrâ Genezareth; non pro-
pter metum Herodis, quia Johannes decolla-
tus ante Pascha, & hoc factum post Pascha;
sed ob disputationem acerrimam cum Phari-
sæis de traditionibus majorum, quam Evan-
gelistæ à v. l. usque ad 21. describit. Digres-
sus autem est ad fines gentium, ut arguat per-
fidiam cohortis Pharisaicæ; ut docereet fu-
gam esse licitam, cum veritatis hostes perse-
quuntur personam, iuxta Moysis exemplum
Exod. 2. 21. Eliæ, 1. Reg. 17, 3. Parenium
Christi Matth. 2, 14. Pauli Act. 9, 25.

2. Quoad locum: Inde; nempe ex Ju-
dæa, ut confirmaret minas Prophetarum,
transferendum esse DEI Regnum ab illis ad
gentes. Et quamvis Apostolis prohibuerit
Matth. 10, 5. tamen ipse non fuit obnoxius
præcepto, habet Chrysostomus. 2. Publicè
inibi non prædicavit; ait Theophylactus in
Matth. sed, uti Marcus ait, occultavit se-
ipsum, Basilius inde querit? ubi dum mi-
ra perficit, calumniis petitur, dum morbos fa-
nat, fert calumniam, dum beneficiâ uti-
tur, non creditur.

3. No-

3. Nominatur: JESUS; Salvator ille
Iudeorum & Gentium, imò Salvator ille to-
tius mundi Luc. 2, 10.

4. Prædicatum, quoad locum genera-
lem: Secessit in partes, sive in confinia, uti
Marcus ait, seu ut Syrus, in confinium. Ca-
nanai enim erant Galileis mixti, vel in loca
maxime vicina dispersi, uti haber Hilarius.
Ut discamus vicinos quoq; visitare & amare,
si ratio officij nostri non prohibet.

5. Quoad specialem, Tyri; quæ fuit
opulentior & potentior Vrbs, eversa demum
ab Alexandro M. uti haber Currius l. 4.
c. 16. qua etiam celebris, propter sepulchra
Origenis & Barbarossa: Et Sidonis, quæ fuit
antiquior Tyro, à Sidone filio Canaan adifi-
cata Gen. 10, 19. destructa ab Artaxerxe,
uti haber Orosius l. 3. c. 7. Fuerunt ambae
urbes maritima, Galilæa septentrionem ver-
sus vicina, 6. invicem milliaribus distantes.
Secessit vero à Iudeâ ad Sidonem & Tyrum,
à pietatis officinâ ad impietatis sedem, à Moy-
sis discipulis ad fabricatores Dæmonum, be-
neficiis simulac index Salvator ea loca cirou-
vit. Nam gentium agnitus est revera Iudeo-
rum condemnatio, haber Basil. oratione 20,
& quoniam apud eos alienigenas truciari sci-

456

psum videbatur, & honorifice tractabatur,
gentium Ecclesiae, ait Cyrill. l.3. in Joha-
nem, jure datam palmam re ipsa ostendebat;
& impietatem Iudaorum, pietate alienarum,
præ oculis ponebat ac crudelitatem illorum,
horum mansuetudine in medium trahebat.
Quando ergo à Iudea CHRISTVS exivit,
tunc etiam Ecclesia ad gentium terminos e-
gressa adire ipsum ausa est, habet Chrysosto-
mus hom. 53. in Matth.

6. Et quoad factum, Ubi mulieris Ca-
nanæ adclamatio v. 22. In quo præmit-
titur particula attentionis; Ecce. Miratur
Evangelista; vetusta armatura Diaboli, que
hominem de Paradiſo expulit mater peccati,
initium iniquitatis prævaricationis materia
ipsa venit, nova res & miranda! ait Chry-
st. hom. 12.

7. Exponitur: Subjectum summa-
tim, Mulier, quam non nominat, sed, uti di-
ctum, mirum observat Evangelista, Iudei
fugiunt, mulier sequitur, domestici dere-
dinquunt, alienigena heret, & jungere ac
proximare cupit, ait Origen. homil. 7. in
diversos.

8. Explicatim à patriâ, Cananza: non
ex oppido Canamajore, quia literæ non ad-
mit-

mittunt, cùm civitas per P, Chanaan verò
per D scribatur, sed è terra Chanaan, & ex
postoris Chananaorum in populo Israelitico
residuorum, quia Chananai fuerunt, uti ha-
bet Hilarius in Matth. canon. 15. terras, in
quibus nunc Iudaea est, incolentes, qui dnm
bello consumpti, secundum Jud. 2, 3. residui in
loca vicina dispersi: funditus enim non sunt
omnes deleti, quia DEVS voluit hostes Isra-
elitis superesse, quibus exerceantur, & ex
quibus costam Ecclesiae sua aggregare posset.
Vnde Marcus eam Graciam vocat, seu Eth-
nicam, quia tunc temporis omnes Græci dice-
bantur ad Rom. 1, 16. 2, 10. c. 10. 12. ad Gal.
3, 28. Et Syrophanissam, quia Syria in Gali-
leam, Samariam & Phæniciam divideba-
tur. Ut discamus multos ab Oriente quoq; ve-
nisse, & beneficiorum divinorum participes
factos esse. Epiphanius statuit mulierem
fuisse de posteritate Sareptana 1. Reg. 17, 9.
Nemo igitur, inquit Basilius, Chananeos ac-
cuset, solvit mulier maiores suos ab impietatis
crimine.

9. Et à loco: E finibus illis egressa. Be-
nè, habet Beda, mulier, quæ Dominum crè-
dula precatur, è finibus illis egressa perhibe-
tur, quia nisi prisca conversationis vana ha-

458

bitacula reliquisset, ad Christi Ecclesiam nunquam veniret. Ut discamus ab impiis emigrare: sic Lotb. Gen. 19,9. sic e Abraham Gen. 12,4. Marcus addit audivisse ipsam à Iudeis in loco cum gentibus habitantibus ex vicinis aduenisse illum Prophetam magnum, cuius rumor exiit in universam Iudeam. Et omnem finitimam regionem Luc. 7,7. Etiam habet v. 24. Marcus, in domum quandam secessisse, in quâ latere voluit, sed non potuit: vel, ut quiesceret iuxta Euthymium; vel ut effugeret Iudeorum calumnias, qui excusum non raro ipsi objiciebant ad gentiles Joh. 7,35. Quando verò dicitur non potuisse latere, non de absoluta potentia, sed de congruentia intelligendum est, propter domesticos, qui ipsum juxta Augustinum prodebant, et qui ipsum noverant Marc. 3,8. Luc. 6,17. Vbi ad petitionem, que in domo facta, Christus nullo response dato abiit, et non orat, uti in domo, sed postmodum quod sequitur, clamat.

10. Prædicatum ab effectu, in genere: Clamavit ei dicens. Ut doceat in miseriis non esse tacendum, sed clamandum. In specie est forma: Vbi petitum: Miserere mei. Non dicit, miserere filiae meæ, sed miserere mei, habet Chrysost. hom. 53. spectatrixis diur-

diurnorum malorum, quasi diceret: illa insensata jacet, ego vero, quam sensus morbi non fugit, quae sentiens atq; intelligens insanio, mille vexor erumnis. Non inquit: habeo conscientiam bonorum operum, nec recte vi-
ta fiduciam; ad misericordiam confugio, ubi cessat judicium: ad misericordiam confugio, ubi ineffabilis salus est, ait Chrysost. Vbi enim misericordia postulatur, ibi universa comprehensa sunt bona. Ut discamus formu-
las precum.

11. Et objectum, absolutè à potentia:
DOMINE. Et ita verum DEVM credit, dum DOMINVM dicit. Non ivit ergò ad homines seductores, non secuta est vates fallaces, habet Origenes hom. 7. in diversos, non quesivit inane ligaturas, aut ad falsa confudit præsidia, sed omnem relinquens Diaboli cultum, venit ad DOMINVM IESVM omnium Salvatorem, & sic ad summum fon-
tem perrexit.

12. Relatè ab officii eminentiâ: Fili David, Quem ita nominat à causa procreante, quia ipsum è posteris Davidis agnoscebat. Et sic dum DOMINVM dicit, DEVM agnoscit, dum Davidis Filium, hominem. Evangelista fit mulier, probavit enim divini

Ff 4 consi-

460

consilii sacramentum, quando & divinam
virtutem sectatur, & carnis naturam confite-
tur. Ut discamus, Christum adorandum, non
modo ut Dei, sed & ut Davidis Filium, atq; sic
Deitatem, quæ homo facta est, uti habet
Athanas. dial. 5. c. 28.

13. Et à causa impulsiva, à morbi vehe-
mentia: Filia mea male dæmonizatur. Vbi
ellipsis coniunctionis causalis, enim omittitur:
uti fieri solet in majori animi affectu: quasi di-
ceret, Damon adversarius cum puerellâ con-
greditur, & hostis invisus contra puerellam pro-
dit in aciem, quomodo rei gravitatem effe-
ram? quomodo malum prædicabo? non ipsi-
us aspectum difficultatem fero, domi exiliens
urbem per vagatur, in altum manus extendit,
oculos distorquet, comam nudat, habet Ba-
sil. oratione 20. Quid faciam, nescio, peri-
tut misera, nec sentit tormenta, nec mortem
scit timere, nec vitam sperare, semper cada-
ver est in domo meâ, casa mea sepulchrum
ejus, angetur quotidie vulnus meum, filia mea
erat, & facta est Damonis esca, habet Ori-
gen. hom. 7. Ut discamus, quām miserum fit
etiam homines ob sideri & a Diabolo vexari:
quod fit ob originalem contagionem, dum na-
turâ filii ira, ad Eph. 2, 3. ob matrem præ-
gnan-

gnantium exorbitationem Job. 5. 2. ob terro-
rum ac lapsuum inopinatorum consternatio-
nem, ob parentum funestam execrationem,
& corundem delictorum castigationem: sed
orandum est, benè precandum est. Potissimum
cum filia Dæmoniosa, ut habet Beda, quæli-
bet anima in Ecclesia malignorum spirituum
magis deceptionibus, quam conditoris sui
mancipata præceptis, que male à Dæmonio
vexatur, uti addit Hieton. l. 2. in Matth.
c. 24. ignorans creatorum, & adorans lapidē.

14. Tum Christi recusatio v. 23. In
quo directè est accidens, silentium; Et il-
le non respondit ei verbum. Syrus addit,
ne verbum quidem, non autem exspectat
Christi adventum & accessum, sed tantum
petit auxilium: O nova rerum materies! ait
Chrysost. hom. 12. de muliere Cananæ:
rogat mulier, obsecrat, deprecatur, deflet ca-
sum suum, auget tragœdiam, enarrat passio-
nem, & amator hominum non respondit, ser-
motacet, fons clausus est, medicus medica-
mentaretinuit. Quid novum? quid admi-
rabile? alios provocas ad sequendum, & hanc
misérabilem insequentem abigis? sed consi-
dera medici sapientiam, qui non respondit ei
verbum. Cur non respondit? quia fidem illi-

462

us amplius provocabat, & animum perseverantia exercebat, ut detegeret sapientia veritatem, habet Origen. ut desiderium accenderetur, non ut misericordia negaretur, ut humilitas commendaretur, ait Augustin. serm. 74. de tempore. O subiunctum humanitatis obtentus, silentium longè humanissimum! D Domini silentium Cananæe commendatio, habet Basil. de silentiis. Et tacet non de superbris Pharisaica, non de scribarum supercilie, sed ne ipse sua sententiae videretur contrarius, nolbat occasionem calumniatoribus dare, habet Hieron. in Matth.

15. Indirecte de discipulis, ab effectu, quorum accessus; Et accedentes discipuli ejus. Apostolorum enim chorus, cum neq^{ue} silentii Domini sapientiam satis eognosceret, neq^{ue} mulieris ferre posset voces, accedit. Ut discamus, pro amicis orare, & si possimus, eosdem juvare, potissimum, quando non respondet D E V S.

16. Tum affatus, à causa in genere: Rogantem. Quia misericordia moti vel importunitate, qui ita mulieris oratores sunt, discipuli, ut eq^{ue} nos pro amicis rogemus: non verò rogantur illi, sed ipsi rogant. In specie: dicentes: dimitte eam. Et sic non tam Cananæe

ex-

exauditionem petierunt, quam dimissionem,
uti & Luc. 18, 5. sicq; potius ex impatientia
clamoris, quam ex condolentia intercesserunt.

17. Et causa, nempe ab effectu molesto:
Quia clamat post nos. Vnde facile colligi-
tur ipsis molestam fuisse, Marcum dicit: ante
nos. Hinc Chrysost. diversi quidem sermo-
nes, sed una sententia, nec est mendacium in
utrisq;, utrumq; enim faciebat mulier in causa
doloris, prius post tergum clamabat; & cum
vidisset, quia non respondit, ante cucurrit.

18. Et ejusdem responsum v. 24. In quo
causa. Ipse autem, respondens ait. Atq;
ita non proficiunt Apostoli suggestentes. felix
medicus differt magis curam & exulcerat vul-
nus. potestatemq; suam quadam arte excusat.
ut latentia vanderet sacramenta, habet Ori-
genes.

19. Tum forma à fine, per comparatio-
nem similium: Non sum missus nisi ad oves
perditas domus Israël. Qui modis recusationis
omnem Cananæ opem refecare videbatur,
cum exclusiva adhibita. Et ita loqui incipit,
sed mera loquitur tonitrua, potissimum cum
gentibus etiam sit promissus Gen. 22, 18. Psalms.
2, 8. Es. 49, 6. Imo dicitur desideratus gentium
Psalm. 22, 29. dum pro omnibus moremus,

2. ad

464

2. ad Cor. 5, 15. etiam pro iis, qui pereunt culpa
sua ad Rom. 14, 16. 1. ad Cor. 8, 1. qui Chri-
stum rursus crucifigunt ad Ebr. 6, 6. qui ipsum
conculcant ad Ebr. 10, 26. qui abnegant 2. Petr.

2. I. Ideoq; non quod ad gentes non sit missus,
habet Hieron. l. a. in Matth. sed quod primum
missus sit ad Israël, mō illis non recipientibus E-
vangelium iusta fieret ad gentes transmigratio,
quod habet etiam Chrysol. serm. 100. Ut di-
stinguatur inter officium Christi Propheti-
cum, quod pertinebat ad Iudeos, quia venit
in propria Job. 1, II. Et inter sacerdotale &
regium, quod pertinet ad omnes, uti habet
Hieron. in caput. 14. Ezechieli.

20. Partim gravissima, dum habet in-
stantiam simplicem : ubi iterum mulieris
Cananæ adoratio v. 25. In quo ab effectu
factum seu gestus : illa autem veniens ado-
rabat eum. Cum enim ad argumentum
Christi respondere nihil posset, ad solam mis-
ericordiam configit: id quod testatur gestus,
dum proprius accedit, & ipsum adorat. Atq;
ita clamando instabat, perseverabat, pulsabat;
uti habet Augustin. serm. 74. de temp. Ideoq;
adorabat ipsum ut Deum, addit Hieron. in
hunc locum. Ut discas instare precibus.

21. Tum verbum seu affatus, dicens:
Domi-

Domine succurre mihi. Verbum Græcum
Conθέω significat in pugna succurrere, quo in-
nuist Cananœa, se & filiam suam in pugna sta-
re periculosisima, & succumbendum fuisse nisi
succurrerit. Ideo responsum surdis quasi au-
ribus prætermittit, procidit ad pedes ejus, quasi
diceret, venio ad te, procunabo ante te, peto ate-
ne me deseras Domine; Ut discamus in gravis-
simis temptationibus ad Deum confugere, nec
statim, ubi exauditio differtur, à proposito desi-
stere.

22. Tum respectu Christi, quasi reprobatio;
v. 26. In quo argumento sumpto ab inde-
coro, per illustrationem similium, partim
persona. Qui verò respondens ait. Atq;
ita non repudiavit, sed animavit: non est impi-
us medicus, qui cum ore foris, qui putredinem
secat, qui urit & doloremingerit, sed ut per-
ducat ad sanitatem molestus est, & nisi esset,
utilis non esset, habet Augustinus.

23. Tum causa, partim ab iniquo: Non
est pulchrum sumere panem filiorum. Ubi
Metaphora allegorica per panem intelligun-
tur beneficia divina grata, per filios verò in-
telliguntur Iudei, quos in peculiis adoptionis
Dei adsciverat Rom. 9, 4. Atq; ita Iudaos
confundit, quia filii, inquit Origen, hom. 7. in
divertos.

24. Et

24. Et ab indecenti; Et projicere catelli-
lis. siquidem panis filiorum non est objicien-
dus canibus; per quos in omnibus ferme linguis
vulgarissimi quiq^z denotantur 1. Sam. 17, 43. 1.
Sam. 24, 15. Job. 30, 1. Matth. 7, 6. simulq^z ex-
cluduntur à cœlesti Hierosolyma Apoc. 21, 27.
Et dicitur gentiles canes, vel quia occupati
cultu idolorum sicut canes circa animalium
defunctorum cadavera, uti habet Lyra: vel ob
impuritatem. 2. Pet. 2, 22. vel ob invidiam
ad Philip. 3, 2. vel ob rabiem veneficam Apoc.
22, 15. Ita gravius silentio responsum, fidei
tamen Cananæa bene congruens: nisi enim talis
fuissest mulier, forte inhumanitatis aut impo-
tentie Salvatorem condemnans avolasset. O
diram igitur humanitatem! non luctu abje-
ctam miseratus est, non matrem filie doloribus
lancinatam solatus, non natura suas agente
partes, commiseratione ictus est. Et commodi-
or tamē erat racens quam loquens, cōtumelia-
rum additamento calamitates cumulavit, ha-
bet Basil. Seleucensis. Quid ergo? addit
idem oratione 19 dic mihi Domine, non pa-
rem in te animi promptitudinem nausta est Ca-
nanæa filia, qualem naustus est Centurianis fa-
mulus, & si per matrem eadem deprecaretur?
¶ At illa rogans canum loco numeroq^z est, [¶]
por-

portum queritans, fluctum experitur, & animi
vulnus accidis voce increpitans: non est bo-
num; hic prope ante supplicationem curacio-
nem reportabat, heus pro famulo rogans exo-
rator fuit, mater pro filia rogitans tulit repul-
sam. Et non dixit, non est bonum tollere fili-
is & mittere canibus, quia dare panem canibus
humanitatis si & non est, humana tamen est
rationis. Veruntamen quomodo tulit panem
filiis, quibus toties & taliter obtulit, tribuit,
ingessit? sed illi oblatum conculcare ad scelus,
no ad vitam sumere sunt conati, habet Chrysol.
serm. 100.

25. Tunc repetitam: Ubi Cananæ re-
plicatio v. 27. In quo responderet ad assump-
tionem, partim per concessionem. Illa
autem ait: Etiam Domine. Non quasi forent
verba contradicentis, nisi Lyra voluit; sed con-
cedentis & approbantis, quasi dicat: Etiam Do-
mine, sit ita, sum canis: ut humilitatem suam
ostenderet, & indignitatem suam conficeretur,
sum pane liberorum indigna, peccatrix misera.
Ut discamus confiteri peccata nostra,
1. Joh. 1. v. 9. Prov 28, 14. O mulier tamen
violenta! habet Origenes, Dominus dicit, non
licet; & illa dicit, etiam Domine. Sum quod
dicas

dicis, cognosco nomen meum, confundis me; sed non recedam à te. Canis sum, sequar te quasi canis ut porrigit mihi aliquid. O certamen pietatis! o prudentia fœmina! Et Chrysost. hom. 12. O Domine, advocatus meæ factus es postulationis; abnegando promittis.

26. Et per subsumptionem: Etenim catelli edunt de micis cadentibus de mensa dominorum suorum. Atq[ue] ita per comparationem similiūm concludit; Catellis dantur mīcē, si non integer panis. Nempe infit petendo, habet Augustini serm. 74. de tem. Ex ipso veluti convicio humilitatem ostendit, misericordiam impearavit. Neq[ue] enim commota est, aut succensuit, quod canis appellata fuerit, petens beneficium, rogans misericordiam, sed ait: ita mi Domine, dixisti me canem plane sum canis. sed non ideo à beneficio repellenda sum; canes edunt de micis, que cadunt de mensa dominorum suorum, modicum quoddam & exiguum desidero beneficium, non mensam invado. sed mīcas quero, quod idem repetit in lib. de scalâ Paradisi c. 4. Diripuit ita regnum Canaanæ, quæ è finib[us] suis egressa, verè hac regnum coegerit, pertinax in precibus. sapiens in responsis, fidelis in verbis: prætereuntem revocat, tacentem rogat, ex-

cu-

469

ensantem adorat, negantem inclinat. Nonne
tibi videtur eripere, cum elicit, quod negatur?
Præripere, quod aliis reservatur? Cogamus igitur
et nos, diripiamus, habet Ambros. l. 5. in
Lucain. c. 7. Sicq; fidem suam obfirmat. Ve
discamus cum Cananæa repere sub mensa, &
eligere in domo domini, ad limen sedere Ps. 84.
10. Atq; ita mulier tribus virtutibus insignis
ta fuit, fide, patientia, & humilitate, habet Hay-
no super hunc locum.

27. Tum est victoria, Vbi fidei mul-
ieris commendatio v. 28. Estque ab effe-
ctu desumpta; In quo cauta efficiens: Tunc
respondens Jesus ait illi: Quid enim tandem
Salvator? quid silentium pariat, aperit, ait
Basil. oratione 20.

28. Tum forma orationis, & ibi pat-
tim appellatio: O mulier. Estq; admiratio
exclamantis. Et merito, quæ se canem con-
fessa est in hominem commutatur: & justè con-
vertuntur in canes, qui se filios esse noluerunt,
habet Chrysol. serm. 100. Canis accesserat,
sed pulsando homo factus est ex cane, ait Aug.
serm. 74. de temp. Mutavit vocabulum,
quia mentatum vidi affectum, atq; illam cor-

G g re-

870

reptionem ad fructum pervenisse videt, sic
idem lib. de fide & operibus c. 16. & ad Dul-
citium quæstione. i.

19. Et ratio, desumpta ab impulsiva,
quæ continet accidentem fidei quantita-
tem: Magna tua fides. Vere magna ob ma-
gnam constantiam, magnam fiduciam, ob libe-
rationem à magna miseria magnam. Pote-
rat quidem in Cananæ laudare pietatem,
quia verum medicum inquisiverat; charita-
tem, quia filie miseriam suam dixerat; humi-
litate, quia ad Christi pedes procubuerat; pru-
dentiam, quia Christi auxilium sapiens extor-
serat, & constantiam, quia nulla tentatione
commota fuerat: sed quia fides est unica radix
omnium virtutum, laudat fidem, quia fides e-
rat supra naturam, ut habet Chrysost. hom.
38. in Genesim & superabat naturam, habet
Basil. oratione 20. Estq; magna ratione sub-
jecti, quia fides est mulierculæ, ratione objecti,
quia ligat omnipotentem, ratione testamenti,
quia non succumbit, ratione effecti, quia de-
monem pellit. Non quasi excludantur opera,
qualia illa habuit multa dum ad Christum
confugit, dum filiam diligit, dum recte orare
novit,

novit, dum humiliter se dimittit, dum non indignatur appellata canis.

30. Et effectus per Christi approbationem: Fiat tibi sicut vis. Quasi diceret, tu eam cura, esto medicus, tibi committo medicamentum, ut imponas ei: voluntas tua curat eam, habet Chrysost. hom. 17. Marcus dicit Dominum unicum tantum dixisse verbum, Ὅπαγε & propter hoc unicum exiisse Cacodemonem. Unde Chrysost. hom. 17. de variis locis in Matth. Mulier Iudeorū, & demonum victrix, propaginis tuae sanationem fer in fidei premium. Et est illud fiat quo terra & cælum factum est. Noteturq; Christum ut plurimum gentes absenter sanasse, quo significatum, licet ipse ad gentes non venerit, illas tamen per verbum suum & Apostolorum mysterium salvandas esse, habet Augustin l. i. c. 6. de quæstionibus Evangelicis. Non vero sequitur, ac si fides aliena salvaret spiritualiter, licet corporalia dona per aliorum fidem impetrare possimus Gen. 19, 21. Act. 27, 24. etiam conversionem Ioh. 5, 16, non vero salutem, quia justus sua fide vivit, ad Rom. 1, 17. Ezech. 18, 20. Rom. 10, 10,

Gg 2 31. Et

472.

31. Et per sanitatis impetrationem,
ubi est tum modus. Et sanata est filia ejus.
Quod Matthæus ascribit fidei, Marcus
verbo, quia efficax sermo ex efficaci fide pro-
dibat, habet Victor. Ut discamus, DEum ne-
minem ad se veniente m e jicere, Johan. 6, 37.
Vnde Chrysost. hom. in Ps. 50. si lapsus es,
poteris surgere; peristi? sed poteris salvare.
DEUS multus est, quod Fulgentius habet
l. 4. ad Ignatium c. 7. ad ignoscendum, in
hoc multo nihil deest, in quo omnipotens mi-
sericordia & misericors omnipotentia est.
Marcus ait Cananæam invenisse in lecto ja-
centem, non ut infirmam, sed ut tranquillam
& sedatam.

32. Tum tempus: Ab horâ illâ: quâ
scilicet Christus hæc loquebatur, non ex qua
mater ejus venit dominum, sed ex qua Domini
sermo processit, uel Chrysost. habet: Disce igi-
tur & tu hoc loco utilē doctrinā, addit
Theophylactus in Marcum. Etenim unus-
quisq; nostrum, quando peccat, mulier est,
hoc est, infirma anima. Phœnissa autem tan-
quam rubrum & sanguinarium ac cruentum
peccatum habens, filiam autem habet talis
anima, malum opus, quod habet Dæmonium,
mala.

mala enim opera Dæmonum sunt. Peccatores
 itaq₃ cūm sumus, canes nominamur, immunitie pleni,
 propter quod & indigni sumus,
 qui accipiamus panem D E I, hoc est, con-
 municemus immaculatis mysteriis. Quod si
 pér humilitatem nosmetipſos cognoverimus,
 & confessi fuerimus, nos esse canes, enumera-
 verimusq₃ peccata nostra, tunc sanatur nostra
 filia. Chrysost. hom. 13.



NOTÆ.

I.

Filia mea vexatur,] Considera pe-
 catum esse per confessionem erga D E-
 UM agnoscendum ; ut discas, pecca-
 tum non excusare, sed propalare.

II.

Catelli edunt,] Considera humili-
 tam mulieris ; ut discas, eandem
 amare, & vel micastantum petere.

Gg 3

III.

Flat tibi sicut vis,] Considera constantia mulieris obtinuisse auxilium; ut discas, constanter urgere auxilium divinum, quia fieri tibi, si ex salute tua, sicut volueris.



CASUS.

An domesticis prius quam extraneis succurrendum?

Ita videtur 1. ex responsione Christi dum inquit: non summissus nisi ad oves perditas, Matth. 15, 24.

2. Extranei hereditatem capere non possunt I. i. C. de hered. mitt.

3. Ordinata charitas incipit a se ipsa ex l. 6. C. de servitu & aqua: ubi habetur quod durum & crudelitati proximum, ex tuis praediis aquae augmen tuis sitientibus agris ad aliorum usum vicinorum injuria propagari.

4. Qui-

475

4. Quilibet præsumitur rem primām
suam curare, deinde alienam. Alciat.
c. præsum. 52. ex dist. 3. c. qui vult de
pœnit. arg. l. qui servandarum ff. de
præscrip. verb.

Sed contra i. Deus vult omnes juva-
re & juvari, dum neminem excludit, eq.
peregrinum ac domesticum. Deut. 24, 22.

2. Jura unicuique suum jubent tribu-
ere. l. i. ff. de jur.

3. Improbat προσωπεληψίαν arg. l. i. ff.
ad l. Cor. de sicariis Lev. 24. 22. c. in
judiciis c. 12. de R. J. in 6. in c. novit de
judiciis c. statutum § insuper de Re-
script. Ad argumenta contraria. Chri-
stus loquitur de officio Prophetico, non sa-
cerdotali, secundum quod est Salvator to-
tius mundi. Luc. 2, 10.

2. Jura humana volunt non ad subver-
tentum judicium & corrumpendum,
sed ad temperandum, ut fiat justum judi-
cium, & proportio Geometrica adhibeatur.
Inde ordo colligitur, non rei & juris nega-
tio. Ideoque preponuntur ij, quibus pri-
us ius ratione ordinis debetur, non ratione

ju.

476

justitiae. In officiis autem subeundis originarii peregrinis sunt preferendi Myns.

4. Observ. 30. Camman. de jure Majest.

6. th. 53. Zorer. q. 1. n. 735. Bodin. 6.

Rep. 2. Dan. 6. Polit. 3. vid. D. Saxon.

Const. fol. 24. Ita etiam inter competitores collationis stipendiorum & beneficiorum.

Quia stipendia & beneficia inter cætera ideo constituuntur ut per beneficiarios studio perfecto Resp. in partibus credendis eis gubernari possit, ut loquitur Imp. in proœm. institut. Ubi etiam notandum, quod in administratione officiorum ex competitoribus ditiones, egenū præponantur, uti habet Camman. ita l. alleg.

ubi scilicet ratiocinia de pecunia, alias ubi officia alia egeni propter sedulitatem, si modo eam adhibeant, preferendi ex c. cle-

ricos. 6. caus. l. q. 2. Convenit illos Ecclesie stipendiis sustentari quibus parentum & preponitorum nulla suffragantur bona.

Qui autem bonis parentum & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium committunt.





Lat is miscentur lacrymosa, Satanica sacris
Miscentur miseris & bona multa malis.
Est testis Christus postquam digressus ad oras
Sidon clara, tuas & Tyre magna, tuas.
Ecce venit mulier Cananæis finibus illum
Compellans, Iesu vis? miserere mei
Ah miserere mei Iesu mea filia diris
Vexatur Furiis, Dæmone plena truce.
Muttit at hic verbum nullum, sed concio tota
Sortis Apostolica poscit & urget opem.
Nam clamat post nos, illam dimitte, sed infil:
Ad Isreliticas sum modò missus oves.
Illa tamen venit: fit supplex: taliter instat:
Ah fili David ah miserere mei!
Contra tunc Iesus: in honestum sumere panem
Natis, ac illo pascere pane canes.
Hæc ait: ah Iesu! micis vescuntur & illi
De mensa Domini, qua cecidisse, sui.
Iesus: magna fides mulier tua. Fiat ut optas!
Nec mora; facta cito filia sana fuit.
Pluribus id miscet MESCHMANNUS. Pergat!
& inter
Vescentes micis Vir quoq; mistus erit.
GUEINZIUS.

Aτρέπτοις ἔυχαῖς ἐπαναγκάζωμεν α-
παύσως

Τψισόν τε αἰείζων Θεὸν ἐκ Φρενὸς ἀγνῆς.
Ως δὲ γυνὴ συγέροισιν ὑπὸ ἄχθεστι τετριγυῖαι
Άμπλακίης Καγανεῖα, κατὰ Φρένα μερμή-
ριξε,

Αἰκέν πως ἐθέληστι Θεὸς κάρη ἐπαρηγάλι.
Εντάκεσωτῆρα προσέφη κατά δάκρυ χέγσα
χεῦ μενογενὲς τόδε μοὶ κρήνον ἐέλδωρ
Ιῷ λίγῳ, ὡς πάντα διαστρήξας τολιπένεις,
Δὴ πέρος ἐκ καλόχει λυγρὸν Γὸ πνεῦμα δίωξε:
Οὐ ΜΕΣΧΜΑΝΝΟΣ ἔχει ὅπλικρον ἐν ἀλ-
γεσι πότμῳ.

Δεικνὺς τᾶντα, Θεὸς σ' ὁψὶ ψρανίωσι κεράστει

αἰνιβδήλω

David Schuvenmeyer
G. M.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle
003 808 483

3



VÖ 17

EV

CH R 15
H 33 C



